

tent, omnibusque officiis ac honore sese mutuò præveniant. Atque hic sit tertius actus, tunc quidem non infelix, nec sancto Augustino, aliisque tam multis præclarissim. Viris & Episcopis, qui ei Synodo interfuerunt, indignus.

Ne quis autem putet, immeritò Papis *falsationem Nicænorum Canonum* objectam esse, primum id ipsius Sacrosanctæ Carthaginensis Synodi testimonium probat, quod profecto contemni minimè debet. Deinde Papparum & aliorum Romanistarum silentium, quo nimirum facti sunt, se objectum crimen refellere non posse. Tertio ipsa propria Romanæ Ecclesiæ exemplaria Conciliorum, quæ ne hodie quidem illum supposititium Canonem inter Nicæna Decreta numerant; aut ponunt. Quinetiam contrarium Canonem sexto loco ponunt, quem tantopere Carthaginensis Synodi Patres pro se citant.

Eadem porrò prohibitio (ut ad propositum redeam) (appellandi ultra mare, id est, ad Papam, fuerat etiam facta paulò antè in *Synodo Melevitana*, ubi itidem Augustinus Synodo interfuit. In hac, aut alia Carthaginensi Synodo etiam illud decretum statutum est, quod distinct. 99. recitatur in hæc verba: *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid aliud huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Universalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* Quod admodum belle cum præcedenti Historia convenit.

Ubi nunc sunt Papistici seductores, ut Mameranus, & alii, qui tanta confidentia affirmant, nullam unquam fuisse CHRISTI Ecclesiam, quæ Romana non fuerit, aut Romanæ non obediverit? Num igitur divus Augustinus cum tot sanctissimis Episcopis, eorumque auditoribus Ecclesia CHRISTI non fuerunt, quia jugum Romani Antichristi tam constanter à sese repulerunt? Mirari autem quispiam non immeritò profectò possit, tanta ambitionis cupiditate, tantaque dominandi libidine, aut furore potius incitatos, vel etiã furiatos fuisse tres istos Pontifices, ut non Deum timerint, aut saltè homines veriti sint, cū tam impudèter sibi tyrannidem in domo Dei flagitare, & tam Sacrosanctæ Synodi decreta cōtra conscientiam falsare, idq; coram tanto Concilio, ad hæc etiã præmoniti à tota Synodo ausi sunt. Sed profectò pleriq; Romani Pontifices tali quadam inexplebili ambitione & regnandi cupiditate arserunt, ut & de ipsis etiam verè dici possit: *Ex uno disce omnes*; id est, plerosque, paucissimis planè exceptis. Ut autem melius & agnoscere & mirari istorum Romanensium nebulonum fraudes possis, audi quæso & hoc. Prædicto infernali Cælestino successit *Sixtus*, cui *Leo primus*, cujus non pauca scripta adhuc extant. Huius tempore Chalcedonensis Synodus celebrata est, & in ea damnatus est Eutyches. In eadem & Anatholius Constantinopolitanus Archiepiscopus, volebat sibi subiicere Alexandrinam, Antiochenam, & alias Orientales Ecclesias; id est, supremus & universalis Episcopus, ut nunc se Papa esse jactat, totius Ecclesiæ fieri. Ad eam rem obtinendam citabat Decretum Constantinopolitanæ Synodi, quæ 80. annis antè

Ma.